

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

XXXI. De neglectu omnis creaturæ, ut creator possit inveniri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

fructum multum in patientia. Horum memento , fili mi , verborum.

C A P U T XXXI.

*De neglectu omnis creatura, ut Crea-
tor possit inveniri.*

1. **D**omine, bene indigeo adhuc majori gratiâ , si debeam illuc pervenire , ubi me nemo poterit nec ulla creatura impedire.

Nam quandiu res aliqua me retinet , non possum liberè ad te volare.

Cupiebat liberè volare , qui dicebat : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ , & volabo , & requiescam?*

Quid simplici oculo quietius ? Et quid liberius , nil desiderante in terris ?

Oportet igitur omnem supertransire creaturam , & se ipsum perfectè deserere , ac in excessu mentis stare , & videre te omnium conditorem cum creaturis nil simile habere.

Et nisi

Et nisi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus, non poterit libere intendere divinis.

Ideo enim pauci inveniuntur contemplativi, quia pauci sciunt se à perituriis & creaturis ad plenum sequestrari.

2. Ad hoc magna requiritur gratia, quæ animam levet, & supra semetipsum rapiat.

Et nisi homo sit in spiritu elevatus, & ab omnibus creaturis liberatus, ac Deo totus unitus; quidquid scit, quidquid etiam habet, non est magni ponderis.

Diu parvus erit, & infrà jacebit, qui aliquid magnum æstimat, nisi solum unum immensum, æternum bonum.

Et quidquid Deus non est, nihil est, & pro nihilo computari debet.

Est magna differentia, sapientia illuminati & devoti viri, & scientia litterati atque studiosi clerici.

Multò nobilior est illa doctrina, quæ de sursum ex divina influentia manat,

manat , quām quæ laboriosè huma-
no acquiritur ingenio .

3. Plures reperiuntur contempla-
tionem desiderare , sed quæ ad eam
requiruntur , non student exer-
cere .

Est magnum impedimentum ,
quia in signis & sensibilibus rebus
statur , & parum de perfecta morti-
ficatione habetur .

Nescio , quid est , quo spiritu du-
cimur , & quid prætendimus , qui
spirituales dici videmur , quòd tan-
tum laborem , & ampliorem sollici-
tudinem pro transitoriis & vilibus
rebus agimus , & de interioribus
nostris vix raro , plenè recollectis
sensibus , cogitamus .

4. Proh dolor ! statim post modi-
cam recollectionem foras erumpi-
mus ; nec opera nostra districtâ exa-
minatione trutinamus .

Ubi jacent affectus nostri , non at-
tendimus ; & quām impura sint om-
nia , non deploramus .

Omnis quippe caro corruperat
N viam

Cùm ergo interior affectus noster
 multùm corruptus sit , necesse est,
 ut actio sequens , index carentiæ in-
 terioris vigoris, corrumpatur.


Et puro corde procedit fructus bo-
 næ vitæ.

5. Quantum quis fecerit , queri-
 tur : sed ex quanta virtute agit , non
 tam studiosè pensatur.

Si fuerit fortis , dives, pulcher, ha-
 bilis , vel bonus scriptor, bonus can-
 tor, bonus laborator , investigatur;
 quàm pauper sit spiritu , quàm pa-
 tiens & mitis , quàm devotus & in-
 ternus , à multis tacetur.

Natura exteriora hominis respi-
 cit , gratia ad interiora se conver-
 tit.

Illa frequenter fallitur , ista
 in Deo sperat , ut non
 decipiatur.



CA-